

**De nymphomania eiusque curatione : dissertatio inauguralis medica ... /
auctor Eduardus Nagrodzki.**

Contributors

Nagrodzki, Edward.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eyp4z9ne>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
**NYMPHOMANIA EIUSQUE
CURATIONE.**

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILLEM A
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE X. MENS. MARTII A. MDCCCXXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
EDUARDUS NAGRODZKI
NOBILIS POLONUS.**

OPPONENTIBUS:
HILBCK, MED. ET CHIR. DR.
VOGEL, MED. ET CHIR. DR.
KISKER, MED. ET CHIR. CAND.

**BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.**

Digitized by the Internet Archive
in 2016

V I R O
ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO,
EXPERIENTISSIMO

DIT. G. H. BUSCH,

REGI A CONSIGLIIS MEDICIS, MEDICINAE ET CHIRURGIAE
DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI P. O. IN HAC UNIVERSI-
TATE, INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII DIRECTORI, ORD.
REG. DE AQUILA RUBRA IN CLASSE QUARTA EQUITI, PLU-
RIUM SOCIETATUM MEDIC. ET NATUR. SCRUTAT. SODALI,
FACULTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTABIL.
ETC. ETC.

HAS QUALESCUNQUE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Sexus sequior quum a potiori variis rebus, ut corporis constitutione, temperamento, functionibus sexualibus etc. differat, morbis etiam nonnullis obnoxius est, qui a virili organismo vel prorsus absunt, aut in eo tantum leviori symptomatum analogia sese ostendunt. Omissis aliis tantummodo febris puerperalis et nymphomaniae mentionem injiciam, quarum utraque ex intima corporis muliebris fabrica, systematum dispositione et functionum ratione ita profluit, ut in gravissimum errorem et vituperium eos incurrere oporteat, qui alterutram earum maribus potiri posse existiment. Nymphomania, etsi rarius occurrat minusque exitialis sit febri puerperali, tamen haud mediocre medicorum attentione digna videtur, quippe quae difficillime raditus sanetur, imo vitam quandoque in discriminem

vocet. Huc accedit, quod non solum hujus morbi causae plerumque obscuriores sunt et in organismo penitus reconditae, quam quae febrem excitent puerperalem, verum etiam remedia, quibus ad illas evertendas utimur, incertiora, saepe tantum empirica. Quamquam igitur temerarii aliquid suscipere videatur medicus tiro, qui de materie tam ambigua dissenserendi consilium capiat, tamen ad nymphomaniam animum advertere non dubitavi: etenim Lectores candidos atque indulgentes juvenum opuscula non ex iisdem principiis metiri, e quibus virorum eruditorum scripta dijudicari solent, probe scio atque persuasissimum habeo. —

LIBRORUM DE NYMPHOMANIA CONSULENDORUM INDEX.

Aëtius Amidenus, tetrabibl. Libr. IV. sermo IV. Cap. LXXIV.

Paul. Aegineta, Libr. III. Cap. XVII.

Ballonius, de virgin. et mulier. morb. Cap. IX. de insano virginis amore.

Mercurialis, de morb. mulier. Libr. IV. Cap. X.

Lud. Mercatus, de morb. mulier. Lib. II.. Cap. IV. de melancholia virginum et foemin.

Iac. Primerosii, de mulier. morb. Lib. V. Roterodami 1775.

Zacutus Lusitanus, prax. admirab. T. II.

Stegmayer, Disser. de furore hysterice uterino.

de Büchner, Diss. furor uterinus pathologico-therapeutic consideratus, 1747.

Kaltschmid, Diss. de virgine Nymphomania laborante, casus. Jenae 1748.

Liebmamn, Diss. de furore uterino. 1760.

J. A. Pescheck, Diss. de furore uterino. Lips. 1810.

Bienville, La Nymphomanie ou traité sur la fureur utérine. Amsterdam 1771.

Boreau Laffecteur, *Essay sur les maladies physiques et morales des femmes*. Paris 1798.

Rodamel, *Mémoires de la société médicale d'émulation*
T. VI. pag. 150 (Nymphomanie).

Dictionnaire des sciences médicales. (Art. Nymphomanie).

Capuron, *Traité de maladies des femmes*. Paris 1817.

I. Astruc, *Traité des maladies des femmes*. Paris 1761.

Will. Rowley, *a Treatise on female, nervous, hysterical, etc*. London 1789.

Siebold, *Handbuch zur Erkenntniss der Heilung der Frauenzimmer-Krankheiten*. Frankf. 1811—26.

C. G. Carus, *Lehrbuch der Gynäkologie, etc*. Leip. 1828.

I. C. G. Joerg, *Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes*. Leipzig 1809.

DE MORBI NOMINE ET HISTORIA QUAEDAM,

Nymphomaniam scriptores variis impertinent nominibus. **Graecus medicus, Moschio,** satyriasis appellavit, alii tamen similem virorum morbum hac voce notant; cave autem ne hanc satyriasis cum lepra nodosa confundas, quippe quam vetustiores medici eodem nomine designare solerent, quum **Veneris cupiditas** hocce in morbo nonnunquam maxime exaltetur. **Praeterea** haec nomina passim occurunt: hysteromania, metromania, andromania, erotomania, sive furor amatorius, pruritus uterinus, furor uterinus, quorum vocabulorum ultimo multi auctores ad desiguandum supremum nymphomaniae gradum utuntur.

Iam Hippocrates, Erasistratus et Galenus exemplorum mentionem fecerunt, in quibus homines utriusque sexus, ardentiissimo incensi amore, miserum in modum consumerentur, expletisque desideriis in pristinam valetudinem atque vigorem restituerentur. Miremur autem oportet, saeculorum po-

sterorum medicos, praecipue in terris calidioribus, in quibus nymphomania longe frequentior existit, viventes, et in describendis mulierum morbis plurimum versatos, quales sunt: Arnaud de Ville-Neuve, Valescus de Tarente, Bernardus Gordonius, Guillaume Rondelet de Narbonne, Antoine Guanier, Alexander Benedetti, de nymphomania nihil omnino tradidisse. Soranus, medicus graecus, paulo ante Galenum, imperatore Trajano florens, morbi nostri mentionem fecit, et quamquam ejus opera perierunt, tamen Aëtius (Lib. XVI. Cap. LXXIV.) se omnia, quae de nymphomania scripserit, a Sorano desumssisse fatetur. Astruc, qui in Graecorum scriptis verum hujus morbi nomen investigabat, sedecim Aëtii libros, quos manuscriptos in bibliotheca regia Francogallica deprehendebat, perlegit et caput, de quo agitur, „περὶ τῆς μητρομανίας“ inscriptum esse inventit. Nicolas Myrepssus, Alexandrinus, remedium quoddam nymphomaniae magnis effert laudibus, at de ipso morbo nihil praeterea exponit. Zonaras in Annalibus (Tom. III. pag. 23.) Eusebiam uxorem Constantini imperatoris, Constantini Magni filii, quae pulchritudine non minus quam discordia sua cum marito innotuit, in melancholiam exitialem incidisse refert, cui extremus mymphomaniae gradus supervenerit mortemque maturaverit.

SYMPTOMATOLOGIA.

Tantum abest, ut signa hujus morbi difficulter inveniantur, ut facillime sub oculos cadant, ergo a medico sine longiori disquisitione cognoscantur. Attamen diagnosis, si morbus pededentim progreditur et brevibus sese prodit paroxysmis, difficilior redditur. Morbus noster tria, stricte inter se distinguenda, emetitur stadia.

In primo stadio aegrotae mentem imaginibus libidinosis et lascivis fovent, lubricorum scriptorum lectione delectantur, obscoena colloquia desiderant, genitalia crebro tangere solent, omniaque ad libidinem exaltandam inservientia captant, cuius studii effectus damniferi in principio parum animadvertisuntur. Nihil, ne oblectamenta quidem, curant, nisi talis generis sint, ut Veneris cupiditatem augeant; manus genitalibus admovent, labores repudiant, tristitia signa edunt, aut nihil, aut submissa voce loquuntur, murmurantve, calliditatis sunt amantes et studia libidinosa aliis occultare conantur; nihilominus placere student, ideoque quantum possunt, sese exoriant, viro obviae veram revelant naturam, promtique amplexibus venereis sese tradunt.

In secundo stadio morbus in dies accrescit, aegrotae magis magisque omnem prosternunt pudorem, multisque obscoene dictis exaltatam phantasiam et ardentissimam, qua accensae sunt, veneris cupi-

ditatem aperte promunt. **Omnem** denique eludentes honestatem et pudicitiam, sana mente et judicio privatae, virum qualemcumque ad placandam salacitatem exhortantur, quem ad finem turpissimum consequendum nullo non utuntur auxilio, et quemque sibi satisfacere recusantem verbis ignominiosis obruunt, imo verberibus petunt.

In tertio stadio, aegrotantes summum animi perturbati assequuntur fastigium et e furore vehementissimo in tacitam melancholiam incidunt. Inter maniacos insultus misere exclamat, et bestiae instar insaniunt, per fenestram viros invitant, omnibus vestibus corpus nudant, et palam onaniae vitium turpissimum committunt, impetum facturae in eos, qui conatibus impedimenta objicere audeant. Si lucida sequuntur intervalla, in extremam incident melancholiam et interdum obscoene facta recordantur. Haud raro evenit, ut, si mulieres bona educatione essent imbutae, urgente melancholia ipsae manus violentas sibi intulerint. — Morbo sumum gradum adepto, systematis reproductivi turbationes, functionumque sexualium labes in conspectum prodeunt, ut: ciborum appetentia diminuta, alvus tarda vel suppressa, excrementa argillacea, quae consulto saepe retinentur, sitis nulla, urina parca, flava, crassa; menostasia denique, aut dysmenorrhoea aut polymenorrhoea hoc stadium comitantur; calor totum per corpus diffunditur frigorisque sum-

ma est patientia. Praeterea facies macilenta, cachectica, et leucophlegmatica evadit. Inter paroxysmum facies rubescit, postea pallore offunditur, oculi annulis cinguntur lividis, dolores pelvis, femorum et regionis sacrae exoriuntur. Genitalia saepissime tumescunt, inflammantur, et scabendo eroduntur. Ad haec omnia morbi symptomata, clitoridis accedit intumescentia et humoris foetidi acerrimi e partibus sexualibus profluvium. —

DIAGNOSIS.

Quum nymphomania tot ac tam evidentia praese gerat symptomata, ut vix non a quovis cognoscatur, pauca de ejus diagnosi adjecisse sufficiat. Primo obtuitu, et si nondum exquisitus est morbus noster, haud raro ad hysteriae similitudinem accedit, quum in hac etiam singularis nervorum systematis sexualis exaltatio saepenumero animadvertatur. Inprimis medicus animum ad hysteriam sanguineam attendat necesse est, quae mulierculas robustiores et plethoricas adgredi solet atque magnum sanguinis turgorem genitalia versus efficit, ex quo aucta eorum irritabilitas majorque Veneris cupiditas prodeunt. Quae modo proposui, multo magis ad hysteriam libidinosam referenda sunt, quae puellis vegetis, sensilioribus e Veneris desiderio haud expleto, aut subito represso supervenit, facileque, si negligitur in nymphomaniam abit. Insultus praeципue irruunt, dum puellae cum viribus junioribus

consortium habent, vel sermonibus lascivis et impudicis aures praebent. Quae hysteriae species a nymphomania praesertim eo dignoscuntur, quod symptomata hysterica paroxysmum antecedunt et sequuntur, ut hemicrania, clavus, ovum hystericum, globus hystericus cum faucium constrictione et dysphagia spastica, magna corporis agitatio et inquietus, ventris dolores et murmura, spasmi varii generis, ut colica uterina, imo interdum epileptici insultus, vomituritiones et vomitio praecipue fluidorum.

Discernenda etiam a nymphomania sensu strictiori est melancholia amatoria, quippe quae in amore casto, sive platonico, ut dicere solent, cernatur, et non foeminas tantum, sed mares quoque adgrediatur. Aegrotantes, dum videant, cuius amore irretiuntur, summa animi tranquillitate fruuntur, beatisque se aequiparant, dum vero desiderent, inexpugnabili tristitia et luctu capiuntur, imo ad desperationem adiguntur. —

AETIOLOGIA.

Morbi hujus teterimi proximam causam retegere, hucusque frustra studuerunt auctores, et varii aevi medicorum sententiae inter se differunt. Viri artis medicae peritissimi priorum saeculorum, causam proximam in acrimonia et effervescentia seminis muliebris ponendam censuerunt; recentiores ex nimia Veneris cupiditate cum melancholia consocia-

ta, hunc morbum proficiisci contendunt. Plures variorum medicorum de hujus morbi causa opiniones propositas legimus in F. A. Petscheck dissertatione de furore uterino. Lips. 1810. Qui tamen auctor, sedem morbi in partibus genitalibus externis locandam esse, parum apte demonstrare conatus est, quippe quod non minus ridiculum videtur, quam si quis famis causam in ore ponere velit. Nonnulli, ut Carus, proximam morbi causam in inflammatione ovariorum collocant, dicentes: si partim disponentes, partim occasioales Nymphomaniae causas, partim varios morbi exitus, partim denique ea, quae Physiologi de sede libidinis in corpore mulierib[us] docent, contemplemur, naturam morbi in inflammatione ovariorum chronica collocari debere. Omnes autem hanc opinionem defendantes in vituperium incurunt, etenim pathogeniam alio modo esse interpretandam, haec praecipue argumenta confirmant.

1. Nymphomania justa mulieribus quidem peculiaris est, sed analogus morbus viros quoque aggreditur et satyriasis nomine designatur, quam obrem inflammationem, si talem agnoscere velimus, in testiculis oportet collocari, quippe qui equidem scio, in Satyriasi orchitidem observari.

2. Nymphomania pariter atque satyriasis ut plurimum per longum tempus protrahitur, nisi Veneris cupiditas prompte expleatur. Proinde inflammatio-

nem tantummodo chronicam suspicari liceret, quae ne uno quidem symptomate certo comprobari potest, quoniam symptomata inflammatoria genuina absunt, et exaltatio aegrotantium magis nervorum, quam vasorum systemati est adscribenda; caetero-quin periodismus, qui plerumque observatur, ab inflammationis notione abhorret.

3. Coitu satis frequenti Nymphomaniam atque satyriasis coerceri novimus, quod minime conciliari potest cum statu inflammatorio; quem enim partes sexuales quovis coitu irritentur, inflammatio ad maiorem gradum eveneretur necesse foret.

4. Psychica medela quandoque ad morbum tollendum sufficit; nemo autem est, qui psychicam curationem in morbis inflammatoriis nihil valere ignoret.

5. Qui post mortem vel inflammationem vel ejus sequelas invenerunt, sententiae suae non plenam faciunt fidem, etenim experientiae testimoniis satis confirmatum est, diuturnam et vehementem nervorum systematis exaltationem inducere posse statum inflammatorium secundarium, qui a primitiva morbi indole absit; haud dubie quoque multae mulieres nymphomania extinctae, neque ovariorum inflammationem, neque hujus sequelas offerunt. —

Si quid ego hac de re judicare ausim, omnino nervorum sexualium systemati causam proximam adscribere, eamque in erethismo ponere non dubita-

verim; quae sententia imprimis analogia comprobari videtur. Hystericae enim mulieres, quae nervorum sexualium ingenti erethismo laborant, non modo ad nymphomaniam maxime sunt opportunae, verum etiam in ipsam saepe incidunt; simile quid observari solet in viris hypochondriacis, quorum systema gangliorum non tantum singulari intemperie, sed etiam sexuale permagna irritabilitate, ex qua Venoris cupiditas et satyriasis profluunt, detinetur. Aetiologya quoque huic opinioni favet, imprimis si praedisponentes causas intuemur, nam prae ceteris eae mulieres ad nymphomaniam pronae feruntur, quae nimia et morbosa sensibilitate excellunt, imo amor infelix, qui huic morbo causam occasionalem suppeditat, vix non systematis nervosi sensibilitatem mirifice adauget, et imprimis organa sexualia ad eum exaltationis gradum evehit, ut non temere Hippocratem dixisse intelligamus: »Uterum mulieris animam habere.« Praeterea nymphomaniae et satyriasis symptomata, imprimis periodismus, curationis psychicae praestantia, auxilium ex coitu petendum, quippe quo nervorum sensibilitas et erethismus paulatim hebescant, cum hac theoria facile conciliantur. Numne inflammatorii aliquid in nervis sexualium organorum aut potius in vaginis eorum locum habeat, non plane quidem disputari, sed multo minus comprobari potest; parum autem referre videtur, ut hoc dirimamus, quum affectiones nervorum, qui-

bus status quidam subinflammatorius subesse videtur, uti neuralgiae, non raro periodismum symptomatum exhibeant, et vel sponte cedant, vel iisdem medendi methodis debellentur, quibus morbi nervorum mere dynamici elevantur.

Quod ad causas spectat remotas, notandum est, tam disponentes, quam occasionales dupli modo morbum procreare posse, nempe animi et organorum affectione. Causis disponentibus et occasionibus praecipue adnumerantur: educatio effeminata, imaginatio exaltata, ad objecta libidinosa vergens, quae diuturna librorum obscoenorum lectione, nec non virorum consuetudine sustinetur, plethora, temperamentum sanguineum, animi pathemata excitantia, morbosam sensibilitatem adaugentia, nutrimenta calefacentia, omnesque potus et cibi, congestiones ad partes genitales proferentes, stragulorum abusus, nec non ollularum carbonariarum, leucorrhœa, idiopathica partium genitalium, praecipue uteri inflammatio (1), incitamentum ovi in gravido utero vel extra eum (2), immodica coitus, imprimis inter graviditatem, exercitatio (3), ovariorum intumescentia vel deformita-

(1) Baldinger's Magazin für Aerzte. T. 10. pag. 392.
— Reil's Fieberlehre. T. IV. p. 56.

(2) Schurig. Gynaekologia p. 21.

(3) Belehrung über eine bisher unbekannte Folge ausschweifender Befriedigung des Geschlechtstriebes in der Ehe. Leipzig 1779.

tes (1), morbilli (2), scabies (3), entozoa (4) prae ceteris ascarides, usque ad partes sexuales discurrentes, materiae acres in tubo intestinali stagnantes, syphilis, injectiones irritantium humorum in vaginam, pessaria (5), nimia equitatio (6), calculi renales et vesicales (7), nonnullaque medicamenta, sistema uterinum irritantia, e. g. Cantharides, Hba. Sabinæ, Digitalis, etc. enormis denique clitoris. — Nymphomaniam etiam coitu, frustra tentato, ejus exercitium ob hymenis vel vaginae atresiam fieri nequit, exoriri posse, exempla testantur. Siebold furorem uterinum, ex vaginae atresia profectum,

(1) Brendel. Observ. anatom. Dec. III. obs. X. — Ephem. Nat. Cur. cent. VIII. obs. 3.

Hoffmann (Maur.) Disquis. corp. hum. anat. path. pag. 117.

(2) Lentin. Beobachtungen einiger Krankheiten. p. 133.

(3) Thilenius med. und chir. Bemerkungen. pag. 288.

(4) Epitom. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VIII. obs. 75. — Schurig Gynaek. pag. 13.

Lentin in Hufeland's Journal der pract. Heilk. XVI. B. 3. St. p. 10.

(5) Schröder B. 2 S. 3. von des Verfassers Journ. für die Geburtshülfte etc.

(6) Sebis exerc. med. pag. 376.

(7) Act. natural. Cur. Vol. VIII. obs. 30. — Camper. Obs. circa mutationem calculorum. — Zacchias Quaest. med. leg. III. Tit. I. Quaest. 4 et 8.

(8) Schurig. Gynaek. pag. 2. 27.

Zacutus Lusitanus. prax. admirab. T. II. obs. 9.

sibi esse observatum affirmat. Liceat nobis in hujus exempli enarratione viri illius propriis verbis uti: »Hymen nimirum», inquit, »pene quidem destructus erat, vaginae vero atresiam, ex cuius aperitura minima, quam specillum modo intrare potuit, menstruatio fiebat, digito perforare conjux iterum iterumque frustra conatus erat, quod vero studium vanum nihil aliud, nisi permagnam partium sexuallium irritationem et inflammationem effecit; paulo denique post nymphomania orta est. Nihil mihi restitit quam crassam membranam specillo concavo et indice meo immissis, variis locis forcicula curvata dissecare.«

Jam supra commemoravimus, morbum de quo nobis sermo est, non modo a corporis, sed etiam ab animi affectione pendere. Inter omnia vero animi pathemata imprimis amor, etiamsi ab initio cum Veneris cupiditate junctus non videbatur, saepissime causam morbi nostri suppeditat, et eo majora capit incrementa, si quod animi pathema deprimens, ut amatoris perfidia vel mors ejus accedit. Hujusmodi casus Joerg mentionem fecit, quem in opusculo nostro non omittendum censemus. — Puella mirae formositatis in saltatione quadam solemni, de perfidia viri, cuius amore ardebat, certior facta, intimo animo movebatur, animique dolorem reprimens, menstruationis praesentis ratione non habita, nimium saltavit. Quo facto statim morbum contraxit, ca-

tamenia evanuerunt, omniaque nymphomaniae symptomata in conspectum prodierunt; atque, ut paucis dicamus, puella, omnibus virtutibus muliebribus ornata, in vesaniam incidit, nec unquam mentis sanare, ne per intervalla quidem, vestigia obtulit. — Sic etiam viduas, maribus repente defunctis, quum nemo esset, qui cupiditati Veneris satisfaceret, nymphomania correptas esse, plura docent exempla.

PROGNOSIS.

Si prognosin augurari velis, non aliam dicere poteris, nisi quod ad vitam maxime dubiam, quod ad sanationem vero pessimam. Prosperi tantum eventus spem alere licebit, si statim a morbi exordio ars medica in auxilium vocatur, atque causa occasionalis non latet. Morbo autem per plures menses continuos protracto, et melancholia aut mania jamjam addita, diligentissimo medicorum studio impedimenta obstant, quae difficillime superantur. Etiamsi ejusmodi aegrotae lucidis gaudeant intervallis, et interdum omnibus mentis viribus praeditae videantur, tamen sanationis spes saepenumero fallit et aegrota in malum denuo recidit. Omnino vero desperandum est, si morbus summum assecutus est fastigium, quo in furorem et rabiem transit. Accedere solent alii morbi, ut cachexiae, virium permagna prostratio, indurations et exulcerationes uteri, ovariorum et tubarum Fallopii, quibus tan-

dem mors adducitur. Haud raro accidit, ut tales aegrotae melancholia vel furore correptae, mortem sponte sibi consciscant. Interdum nymphomania in epilepsiam mutatur insanabilem. Aliae aegrotantium mentis usum amiserunt, atque hoc in statu per plures annos vixerunt, postquam irritabilitas exaltata ovariorum, reliquorumque genitalium evanuerat, istaeque partes ad conditionem normalem redierant. Nonnunquam, sed rarius evenit, ut morbus sua sponte desinat. Conditiones, sub quibus morbus tam prospere judicabatur, Astruc (1) enumeravit. Nymphomaniae nimirum sanationem vel saltem diminutionem esse observatam contendit, menstruatione uberrima exorta, vel haemorrhagia, vel fluxu haemorrhoidalii accidente, nec non post benignam leucorrhœam, aut post coitum cum viro, cuius amore immense aegrotantes arderent. Denique etiam conceptionem et uteri prolapsum sanationem induxisse idem affirmat.

MEDELA.

Quum morbum ex iis, quae supra exposuimus, non solum somaticum, sed etiam psychicum cognoverimus, facile est intellectu, in eo sanando duplum ejus characterem respici debere, itaque cura-

(1) Maladies des femmes. T. II. p. 370.

tionem in psychicam, pharmaceuticam et chirurgicam aptissime dispesci posse, plane patet.

Aptum regimen mentis jam à Cicerone descriptum (quaest. Tusc. libr. IV) legimus: »Sic igitur affecto haec adhibenda est curatio, ut et illud, quod cupiat, ostendat, quam leve, quam contemendum, quam nihil sit omnino, quam facile vel abunde, vel alio modo perfici vel omnino negligi possit. Adducendus est etiam nonnunquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia. Loci denique mutatione, tamquam aegroti non convalescentes, saepe curandus est. Etiam novo quodam amore veterem amorem, tamquam clavo clavum ejiciendum putant.»

Caveat ergo medicus, ne morbum a sola corporis affectione pendere credat, neve dynamicam modo curationem adhibeat, quia, psychica neglecta, multis privatur auxiliis, quae sanationi inserviunt. Quem in finem curatio psychica cum dynamica strenue est conjungenda. Etenim si sola exstat salacitas cum melancholia consociata, medici est, mentem aegrotae ab omnibus, quae Veneris cupiditatem excitare possint, avertere; ita nimis, ut aegrotam iis, quibus delectari solet, rebus occupet. Huc referendum est musices studium, cantus et similia. Consuetudo virorum omnino vitanda, illa solum mulierum, moribus probis conspicuarum, eligenda est. nam ipsius medici, imprimis formosi, praesentia

aegrotae interdum periculum affert. Quibus omnibus bene observatis, si nihilominus aegrota sermones edit obscoenos, et ipsum coitum flagitat, sensus pudoris suscitetur, et, si nihil hoc praestat, ethice, religio et pietas erga parentes in auxilium vocentur. Haud raro admonitiones summa cum severitate editae, magni sunt momenti. Joerg enarrat casum, quo sacerdotis sermones medici operam longe superarent, animumque aegrotae ita moverent, ut paroxysmus per longum temporis spatium deficeret. Nihil tamen curatio descripta aut parum auxiliī affert, si ad salacitatem accessit mania.

Quod pharmaceuticam attinet curationem, ad morbi characterem et ad causas accommodanda est. Vigente plethora et morbo characterem inflammatorum offerente, venaesectio unciarum octo vel duodecim instituatur. Multi enim affirmant, post venaesectionem, tempestive factam, morbum evanuisse. Interne multis laudibus Nitrum a medicis effertur, quippe cui vim antiphlogisticam et debilitantem tribuant. Alii vim specificam coitus appetentiam sedandi ei largiuntur. Alii, inter quos Joerg, usum ejus repudiant, dicentes: Nitrum vitalitatem tubi intestinalis et systematis uropoëtici, nec non eo ipso uteri et ovariorum irritabilitatem et vitalitatem adaugere, quamobrem non modo nihil praestet, imo nocere possit. Evidem Cremorem tartari, Tarta-

rum natronatum, pulpam Tamarindorum, aliaque similia praeferenda, fortiora tamen salina, nec non drastica, ut: folia Sennae, Jalappam, omniaque systema uterinum irritantia, omittenda censeo. Internis externa jungi possunt remedia, quibus adnumerantur fomenta frigida, labiis pudendi, perinaeo et abdomini imposita, quae per nonnulla certe horae minuta relinquuntur, et per singulas horas, ne frigus vi sua privetur, repetantur, necesse est. Neque supervacuum est eadem fomenta capiti superimponere. Prospero cum eventu etiam balneis, tum universalibus, tum localibus, utimur.

Saepissime morbus sensibilitatis organismi in genere, systematis vero uterini in specie exaltati indicia offert, quod si est, e remediis pharmaceuticis **Hyoscyamum**, **Belladonnam**, **Liquorem C. C. succinatum**, **Moschum** et **Camphoram** in usum vocare debemus. — **Galenus** plumbum ad sanandam nymphomaniam commendat. **Hufeland** (1) tamen **Plumbo acetico** cum **Belladonna** ac **Opio** usus, faustum eventum minime se obtinuisse affirmat. Nonnulli **Opio Veneris** cupiditatem tolli censem, quorum tamen opinio a praxi medica abhorret, quippe neminem fugit, **Turcas** ad exstimulandam **Venerem**,

(1) Dessen Journal für die prakt. Heilkunde. 2 St. Febr. 1814. S. 33.

Opium sumere. Quod ad Camphoram spectat, multi viri doctissimi eam ad mitigandam nymphomaniam commendant, alii tamen usum ejus, irritantis effectus causa, vel ex toto rejiciunt, vel cum restrictione modo praebendam esse, existimant. Camphoram partium sexualium irritabilitatem hebefacere, imo impotentiam virilem inducere, vulgo credunt; at ista vis modo sub conditionibus quibusdam ei tribuenda videtur, v. c. si sensibilitatis alienationes ab inaequali sanguinis distributione, vel morboso nervorum systematis praedominio, pendent. (Sundelin, Handbuch der speciellen Heilmittellehre. Berl. 1825. Bd. I. pag. 381).

Si vero morbus atoniae signa prae se fert, quod tantummodo morbo jam inveterato, vel complicazione, vel denique deprimentibus animi pathematis effici solet, roborantibus prae aliis utimur, et hic quidem ea aptissima sunt, quae sensibilitatem systematis nervorum directe parum vel nihil augent; quoniam, irritabilitas systematis uterini depressa maneat, necesse est. Roborantia excitantia ergo, energiam et vim totius organismi adaugentia, simul vitalitatem nervorum vasorumque systematis uterini et ovariorum magis exaltantia, sunt vitanda. Internis ante dictis externorum usus est addendus. Locales, applicatione hirudinum institutae, sanguinis detractiones multum praestant; minus auxilii inun-

ctiones unguenti hydrargyri cinerei ad regionem hypogastricam pollicentur. Fomenta frigida, vel ex Aqua vel ex Aceto, omnino adhiberi possunt, ita tamen administrentur necesse est, ne sequelas noxias induant. Balneorum localium usus non plane est rejiciendus, quae si vetantur, in eorum locum balnea e speciebus aromaticis substituantur. Medici est cum remediis aptum regimen jungere: cibi eupepti non calefacentes modo elegantur, cubiculi temperies sit modica, consortium cum viris, omniaque salacitatem excitantia vitentur.

Illi medicorum, qui inflammationem ovariorum causam proximam nymphomaniae constituere censent, morbo remediis antiphlogisticis non cedente, antagonisticam adhibent methodum. Quem ad scopum Unguento tartari stibiati, sinapismatibus, aliisque epispasticis, exceptis cantharidibus, propter vim diureticam, ipsumque uterus excitantem, utuntur. Idem affirmant, Calomelas ad ptyalismum usque adhibitum plurimum ad sanationem conferre; salvationem nimirum per antagonismum ovariorum et uteri morbum levare centes, quod si non fit, propter alias virtutes Hydrargyrum optimo cum successu saepe exhibetur. Sin autem nymphomaniae aliis morbus subest, antea tollatur, oportet; non raro enim evenit, ut, illo cessante, simul nymphomania evanescat.

Non praetereundus est modus, quem plurimi, iisque celeberrimi, ad nymphomaniam curandam commendant. Putant enim morbum ita submoveri posse, ut Veneris cupiditas per ipsum coitum sedetur. Quod tamen, etsi perutile sit, summa tantum cum providentia suadendum mihi videtur; quum tantummodo utilitatem, ut puto, praebere possit, si nymphomania nondum in exaltata sensibilitate systematis uterini cernitur et melancholia vel mania, cum salacitate aut non conjuncta, aut modo per breve tempus observata est. Hoc enim in casu coitus ad irritabilitatem enormem placandam inservit, et sexualia affecta quam celerrime fieri potest, nec non certissime ad statum normalem reducit. Curatio forsitan radicalis contingit, si, quod vero in hoc morbo rare evenit, coitum sequitur conceptio. Si igitur fieri potest, ut virgo ineunte morbo nubat viro, caveat medicus, ne quid omittat, quod ad tale vinculum conjugale muniendum conferre possit; quod quidem tanto salubrius erit, si nymphomania ex amore vel infelici vel nimis flagranti profecta est.

Non minus tamen contra causas, abs quibus morbus pendet, dimicandum, et complicationum ratio habenda est. Si itaque morbum menostasia vel menstruatio retardata comitatur, remedia quae his in casibus auxilium praestant, in usum vocanda, attamen notandum est, nymphomaniam e menostasia

ortam, cum violentis ad caput congestionibus, nec non cum encephalitidis symptomatibus quandoque conjunctam esse, quo in casu ad detractiones sanguinis confugere medici est. Morbo incitamentis, mediate partes genitales affidentibus, producto, ut illa apto removeantur modo, prima exposcit indicatio. Inflammatio partium genitalium et metritis medelam inflammationi consentaneam expostulant, quare, sanguinis detractionibus praemissis, mercurius princeps est remedium. Saepe intestinis exigua est vitalitas, circuitus in iis debilis, secretio suppressa, quo circa Kali aceticum Decocto graminis admixtum, non raro purgantia, et in summo tubi intestinalis atoniae gradu, extracta amara, nec non hydrargyrum et belladonnam paeberi oportet. Si in onania morbi causa cernitur, nostrum est ab hoc malo avertere aegrotam, quem ad finem omnis occasio arceatur, aegrota continuo observetur, et si haec non sufficient, manus ejus colligentur, necesse est. Non raro tactu crebro intumescunt et exco-riantur genitalia, quo in casu fomentis frigidis, injectionibus decocti seminum papaveris cum plumbo acetico, vel aquae Goulardi est utendum; si ni-mia exstat leucorrhoea, munditiae maximae indulgeatur, partesque genitales decoctis amaris frigidis la-ventur. Ratione corporis habita, morbus causas loca-les submoveri jubet. Pessaria ergo, si aegrotae iis

utuntur, seponenda, vel minus irritantibus, e. g. spongia immissa, sacerienda sunt. Hymenis, vaginae atresia statim operatione tollatur necesse est; eadem instituatur si nimia clitoridis magnitudo ac sensibilitas causam nymphomaniae exhibuit; etenim hoc in casu clitoridis amputatione perfecta inducitur sanatio (1), quam operationem breviter describere non supervacuum mihi videtur.

AMPUTATIO CLITORIDIS.

Aëtius et Paulus Aegineta primi hanc descripserunt operationem. Vetustiores, in affectionibus solummodo scirrhosis ea utebantur. Levret primus erat, qui eam ad sanationem nymphomaniae praestandam commendavit. Dubois consilium ejus secutus, hanc instituit, et ante aliquot annos de Graefe eadem operatione mania laborantem et onaniae deditam, sanavit.

Methodi duae sunt:

I. Abscisio.

II. Ligatura.

Ad abscisionem requiruntur: Culter rectus, una acie instructus, forceps hamata et vultella, fila ligatoria, spongia, aqua tam tepida

(1) Buechner. Miscellan. 1728. pag. 933.

quam frigida, linteum carptum, splenium, emplastra adhaesiva et fascia T formis.

A d ligaturam: Apparatus ligatorius, v. c. bacillus ligatorius Graefii et fila sericea.

O peratio per abscisionem facilis est peractu, et hac quidem ratione instituitur:

Aegrota, adductis et distentis femoribus ita collocetur et sustentetur, ut chirurgus, postquam vel digitis vel forcipe hamata clitoridem prehendit et attraxit, majorem ejus partem cultro recto absindere possit; quo facto aqua frigida vel aliis stypticis haemorrhagia sedetur; vasa, si qua laedantur, ligentur necesse est. Tunc linteum carptum imponatur et fascia T formi muniatur.

O peratio per ligaturam: filo sericeo clitoris circumdetur, et vel celerrime usque ad doloris abolitionem constringatur, vel constrictio sensim sensimque fiat, ut sejunctio membra perficiatur.

Hic finis esto! Si erroris convincar, facile consolabitur illud Terentianum: homo sum et nihil humani a me alienum esse puto.



VITAE CURRICULUM.

Ego, Eduardus Nagrodzki Nobilis, anno hu-
jus saeculi duodecimo Varsaviae, patre dilectissimo
Joanne, matre **Maria**, e stirpe **Picard**, quam
mihi morte ereptam lugeo, natus et catholicae fidei
addictus sum. Nono vitae anno Collegium Nobi-
lium Konarscianum, quod Varsaviae eo tempore
florebant, adii, ibique literis, ad altiora studia viam
munientibus, operam dedi, unde cum maturitatis
testimonio dimissus, autumnali tempore anni
MDCCCXXIX universitatem literariam Regiam
Alexandrinam Varsaviensem petii, et a Rectore
Magnifico Szweykowski in numerum civium
academicorum receptus, ab Ill. **Bandtke**, Decano,
jurisprudentiae studiosis adscriptus sum. In hac
musarum sede unum per annum Ill. **Szyrma** de-

philosophia, Ill. Bentkowski de historia gentium, Ill. Bandtke de institutionibus romanis, Ill. Woelke de antiquitatibus tam Romanorum quam Graecorum disserentes audivi.

Castris ICtorum relictis, anno MDCCCXXX autumnali tempore Berolinum me contuli, atque artem Hippocraticam professurus a Rectore Magnifico, Beat. Hegel, Decano Spectabili Hufeland in album universitatis Berolinensis receptus sum. Per annum, quem in hac literarum sede transegi, paelectiones Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Schultz de encyclopaedia et methodology, Beat. Rudolphi de anatomia universa, organorum sensuum, de historia naturali entozoorum et de physiologia frequentavi. In cadaveribus rite secundis Beat. Rudolphi et Ill. Schlemm mihi duces fuerunt. Anno MDCCCXXXI ad academiam Fridericianam Halensem et Vitebergensem consociatam profectus, civibus academicis a Prorectore Ill. Heffter adscriptus, ibique per annum commoratus, scholis Beat. Meckel de anatomia pathologica, Ill. Friedlaender de pharmacologia, Beat. Sprengel de botanice, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali, usus sum. Scholas clinicas medicas, chir-

urgicas et ophthalmiatricas Virorum Illustrissimorum Krukenberg et Blasius frequentavi. Anno MDCCCXXXII Berolinum reversus sum, atque sub auspiciis Ill. Marheineke, Rectoris Magnifici, albo academico insertus, clinicis medicis Cel. Wolff et Barez adfui scholis. Quorum virorum gratissimam memoriam nulla unquam oblivio ex animo meo delebit.

Jam tentaminibus medicis et examine rigoroso absolutis, nihil impedimento fore spero, quo minus Gratiosa Facultas Medica, dissertatione rite defensa, summos in utraque medicina honores in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

1. **Haud exstant certa virginitatis signa.**
 2. **Methodus le Meryana aliis in punctione vesicae urinariae usitatis, est praferenda.**
 3. **Arsenicum Chinae vices agere nequit.**
 4. **Peregrinationes ad sanandos mentis morbos leviores multum prosunt.**
 5. **Urina ad morborum diagnosin maxime confert.**
 6. **Inflammatio asthenica datur.**
-

1. *W*ij denken dat de ziel een vaste en
onwisselbare vorm heeft. De vorm van de ziel
is een vorm die wij kunnen beschrijven en
die wij kunnen tekenen. De vorm van de ziel
is een vorm die wij kunnen beschrijven en
die wij kunnen tekenen. De vorm van de ziel
is een vorm die wij kunnen beschrijven en
die wij kunnen tekenen. De vorm van de ziel
is een vorm die wij kunnen beschrijven en
die wij kunnen tekenen.